DE
HEBETUDINE ANIMI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE XVIII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCXLVII.

PUBLICE DEFENDET

CASPARUS MAX. BROSIUS

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS

C. PISTOR, MED. ET CHIRURG. CAND.
F. KRECHEL, MED. ET CHIRURG. STUD.
A. BECKER, IUR. STUD.

BONNAE,

FORMIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLVII.

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM.

I. Prolegomena.

Animus, quo verbo nostrum »Gemüth« satis apte vertis, sentiendi (Gefühl) et appetendi (Begehren, Wille) continet facultatem. Sensus est animi actus, qui proficiscitur vel ex impressionis perceptione somatica, vel e phantasia, vel e cognitione, quae mentis est. Ad sensum oriundum requiritur perceptio, quam semper sequitur sensus, nisi impressioni assueti sumus. Sensus igitur est perceptione effectus, quasi psychica auctio perceptionis [1]). Huius natura aut sensum iucundum aut iniucundum provocat. Ut sensus oritur perceptione, ita sensu appetitus (Begehren), qui altera est animi quasi manifestatio. Hic quoque duplex est. Rem enim nobis gratam consequimur, iniucundam fugimus et detinemus (Neigung und Abneigung).

---

1) Feuchtersleben Lehrbuch der ärztlichen Seelenkunde §. 39.

Mens (Verstand) est facultas cognoscendi i. e. dignoscendi. Cognoscimus, si quid ab alia re distinguimus. Ut ad sentiendum, ita ad cognoscendum necessaria est perceptio.

Sensus, qualitate aut iucundi aut iniucundi, secundum obiecta, quae eos provocant, varie nominantur. Qui e personae nostrae ipsius cognitione prodit sensus, vocatur »Selbstgefühl«; qui continetur in cognitione sortis aliorum fausta et infausta, est sympathia; si quid inquirendo cognovimus, sensus existit, qui non apte appellatur intellectualis; huic contrarius est, qui prodit e dubitatione et incertitudine. Sensus est idealis, qui e pulchritudinis perceptione proficiscitur.

Ad summam vehementiam sensus evectus a nobis vocatur »Affect«, qui efficitur perceptione vehementi et subitanea, per tempus alias animae vires reprimit et hanc solus occupat. Huic animi conditioni respondet appetitus ad tantam vehementiam crescens, ut nostra lingua appelletur »Leidenschaft«. Haec est durans et vehemens hominis cupido, quae obiectum ita persequitur, ut ille ipse damnum capiat [1]).

Ad sensum et appetitum oriundum praeter im-

1) Feuchtersleben l. c.

pressionem requiritur animi irritabilitas, cuius varii gradus sunt. Quisque animi motus vehemens, qui saepius redeat, tandem animi irritabilitatem diminuere et torporem efficere potest.

II. Definitio animi morbi.

In animo sano sensus excitatur alicuius rei perceptione vel cognitione. Dicimus nostra lingua »das Gefühl ist empfänglich, regsam« [1]. Sensum sequitur appetitus, non quidem vehemens, sed facile excitandus [2].

Haec autem ratio alia esse potest. Sunt enim, qui facilius irritentur, ut impressione aliqua sensus iusto vehementior celerrime cum appetitu vehementiori provocetur. Neque vero haec animi nimia irritabilitas morbus semper est; haec congenita est interdum et naturalis, quamquam transit nonnunquam in morbum. Etiam minor animi irritabilitas non semper morbosa. Bene igitur vitium animi a morbo distinguendum est.

---

1) Nasse, die Gemüthskrankheiten; Zeitschrift f. Psychiatrie von Damerov etc. Jahrgang 1847. Heft 4.

2) Nasse l. c.

Ill. Nasse dicit [1]: »Das Gemüth ist krank, wenn seine Regungen in solcher Art regelwidrig sind, dass sie, obgleich durch einen aufregenden Einfluss entstanden, auch dann noch fortdauern, wenn dieser nicht mehr besteht, demnach selbstständig sind, und sie zugleich andere Verrichtungen der Seele in das Leiden hineinziehen.«

Iracundia animi morbus esse potest; sed cuius voluntas adhuc est tam valida, ut iracundia supprimi possit, ille non aegrotat. Tristitia est ita normalis, ut, qui in quibusdam casibus tristis non fiat, saepe aegrotet. Moeror autem si durat, postquam, quod eum excitavit, non iam adest, neque ullae intentiones, rationes, res secundae hilaritatem revocant, morbus est. Amor si tam vehemens fit, ut, quamquam res amata nulla est vel appeti nequit atque optima ab amicis dantur consilia, tamen non desinat vel diminuatur, morbus est animi.

Qui etiamsi semper e corporis morbo originem ducit, tamen non symptoma corporis morbi est, sed status symptomaticus, in quo semper plures animae vires patiuntur, et qui, etiamsi corporis morbus evanuerit, tamen durat, quod contra symptoma morbi cum hoc tollitur.

---

1) l. c.

Tria animi morborum genera praeceptor illustrissimus Nasse distinguit [1]), quorum nimia animi anxietas (krankhafte Gemüthsbeklommenheit) frequentissima est. Huius propria sunt metus, cura, tristitia, moeror. Altera est nimia animi irritabilitas, eo insignis, quod impressionibus animum sanum non irritantibus sensus et appetitus provocantur vehementes. Hunc morbum Platner [2]) vocat excandescentiam furibundam, quae vero ad iram solum pertinens non omnes illius morbi formas complectitur [3]).

Tertia est iusto minor irritabilitas, torpor animi, quam Ill. Nasse appellavit animi hebetudinem (krankhafte Gemüthlosigkeit). De hac accuratius disserere nobis propositum fuit.

III. De hebetudine animi.

Homines, hac laborantes, insignes sunt mira quadam debilitate sensuum, qui in animo sano magis minus vehementes excitantur, atque cupidinum, quae

---

1) l. c.
2) Opuscula academica p. 47.
3) Nasse l. c.

his sensibus respondent. Hebetudinis animi non est, ut coenaesthesis et qui ex hac oriuntur animi appetitus debiliores sint. Quoad corporis voluptates aegroti minime sunt lenti, amant potus et cibos bonos, mulieres non negligunt. Aegrotorum corporis conservandi custodia in eo est conspicua, quod iis bene est, si ciborum et potuum appetitus expleri potest, male, si corporis voluptates illae negantur vel commoditas vitae turbatur. Nonne, si sensus et animi intentiones, quae ad corpus pertinent, vehementes et acres sunt, sensus et appetitus honestiores, qui magni animi sunt, magis hebetes et imbecillae inveniuntur?

Iam, cum animi hebetudo contineatur in defectione et imbecillitate sensuum et cupiditatum, quas vocamus honestiores, rerum venustarum, artium, litterarum, virtutis amoris, sympathiae, pietatis erga res divinas et quae sunt generis eiusdem, iam igitur non necesse est, hos sensus et appetitus omnes aequaliter esse infirmos. Etiamsi omnes imbecilli reperiuntur, tamen alius debilior alio esse potest. Interdum haec animi hebetudo partialis est. Sunt, qui numquam amaverint; alii numquam timuerunt, alii numquam lacrimam effuderunt, in aliis offensio numquam iracundiam excitavit[1].

---

1) Medizinische Untersuchungen und Beobachtungen über die Seelenkrankheiten, von Dr. Benjamin Rush; deutsch be-

Aegri hebetudo praecipue conspicua est in defectione sensus, quem aliorum hominum sors in sano provocare solet, dico sympathiam. Hanc etiam cognatorum et amicorum res secundae vel adversae in aegrotis non excitant. Quare cupidines quoque in illis desiderantur, quae e sympathia proficiscuntur, amor familiae, uxoris, infantum, fratrum, amor societatis humanae et eius celebrationum, amicitia, cura, qua sanus homo suorum fortunam adiuvare studet. Illius generis aegroti amant solitudinem, a familia et amicis, a patria remoti, in nostalgiam non incidunt, cognatis non scribunt, ad parentes, uxorem, infantes redire non cupiunt, horum sortem a nemine exquirunt, de litteris, quas ab illis acceperunt, non gaudent, neque ob malum, quod consanguineis vel amicis accidit, tristes fiunt. Curae praeceptoris illustrissimi Nasse deditus fuit aegrotus, qui, cum mortem uxoris et infantis audiret, nullo modo commotus est; sanatus postea in moerorem maximum incidit. Alius aegrotus, quem saepius videndi Ill. Nasse occasionem commodam benigne mihi praebuit, interdum mihi narravit, se puerum numquam parentes, fratrem et sororem dilexisse, se, cum frater patri aegroto et moribundo servierit,

---

arbeitet und mit einigen Anmerkungen begleitet von Dr. Georg König, Leipzig 1825. p. 280.

somnum cepisse, se uxorem, quae est non modo corporis, sed etiam animi et morum pulchritudine atque ingenio insignis, numquam vere amasse et e sola libidine et coniunctionis appetitu duxisse.

Rush, litterarum in universitate Pensylvanica professor, in libro illo de morbis psychicis scripto, quem Dr. Georgum König, medicum Coloniae celeberrimum, in linguam nostram convertisse diximus, Rush igitur exemplum narrat animi hebetudinis maxime insigne, quod verbis interpretis lectori reddo: »Ich wurde einst bei einem Bürger in Philadelphia zu Rathe gezogen, welcher, im psychisch gesunden Zustande, wegen seiner grossen Liebe zu seiner Frau und seinen Kindern bekannt war; bisweilen wurde er von dieser Leidenschaftslosigkeit befallen, und dann verlor er seine Neigung zu allen so vollkommen, dass er sagte, er könne sie vor seinen Augen auf der Schlachtbank zappeln sehen, ohne dass er nur die geringste Traurigkeit empfinde oder nur eine Neigung fühle, vom Stuhle aufzustehn und sie zu beschützen.«

Neque tamen odio contra cognatos vel alium quemquam aegroti impleti sunt, neque agunt, quod hominibus damnum parare sciunt, neque cupiunt, familiam et amicos miseros fieri, quare timendi eos et vitandi causa non est. Carent igitur aegroti et

amore et odio, neque, si amare vel odi inciperent, iam animi hebetudine paterentur.

Huic opinioni haud adversatur, quod interdum illi benigni erga aliquem apparent, manum i us salutantes capiunt, multa atque hilariter loquuntur et admodum gaudent. Mirum, si quis morbus idem semper et forma immutatus maneret; morbi ratio alia est, quam sanitatis, cuius symptomata magis minus constantia inveniuntur, cum illius forma saepe alia fiat. Morbus quidem ipse non mutatur, etiamsi symptomata alia fiant. Quid? illi aegrotorum mutationi num vera semper subest sympathia et amicitia? De hac morbi mutatione post plura dicenda sunt.

Animum gratum in aegroto, observantiam atque pietatem erga homines bene de eo meritos, non invenies. Optime quidem ille intelligit et profitetur, sibi tribui beneficia, sed gratias non habet neque beneficia reddit, neque comior et benignior invenitur in illos, qui ei operam dant, quam qui nulla ei officia praestarunt. Sunt certe multi et sani animo ingrato, qui tamen hominum bene de iis meritorum maiorem habeant rationem, quam eorum, quos numquam viderunt. Aegroti vero istiusmodi etiam precibus et voluntati beneficiorum auctoris non satisfaciunt et li-

bere fatentur, eius personam sibi idem valere, quam alii cuiusquam.

Minorem animi irritabilitatem probat etiam taedium laboris et negotii. Diligentia enim proficiscitur e validi sensus excitatione. Aegroti laborem fugiunt, a solitis negotiis se removent et inviti de illis loquuntur. Interdum eos vix a lectu detineas, quem ita amant, ut admodum irritentur, si quando e dulci requie pelluntur. Maximam diei partem in cubiculo vel lectu remanent, nihil agentes, quod in domo et urbe accidit negligentes. Hoc vivendi genus magis amant, quam in familia, inter infantes, cognatos et amicos versari, horum laetitiae adesse, muneris officiis satisfacere.

Aegrotus ille, quem accuratius cognovi, antequam in domo praeceptoris Ill. Nasse vixit, in lecto prandit, coenae tempore cubiculum reliquit, post coenam in hoc rediit et reliquam diei partem solus fuit, dormitans, interdum librum aliquem facilem vel diaria publica legens, plerumque in lecticula lucubratoria cubans, herbae Nicotianae fumo gaudens, uxorem, infantes, munus, hominum coetus et celebrationes plane negligens.

Sensus, quem homini sano de se ipso persuasio excitat, in aegrotis, qui animi hebetudine patiuntur, valde infirmus est. Honor magnus, quem homini

dat anima, aegrotum non implet sensu sublato; nil eum interest praestantiae, quae hominem ceteris naturae animalibus anteponit et dei similem reddit. Quam ob rem aegrotus negligit, utrum auctoritate aliqua sit in hominum societate, nec ne. Singularis ille aegrotus, de quo iam diximus et plura dicemus, animo lento et voce tranquilla interdum professus est, sua omnino nihil interesse, utrum planta, utrum bellua, utrum diabolus sit, an homo.

Sensu ideali aegrotus caret, rerum pulchrarum et egregiarum adspectu non incenditur, quae omnes intueri et vereri coguntur, horum rationem non habet, his non studet, his frui non cupit; regiones amoenas, quas videndi causa peregrinationes eminus a multis suscipiuntur, tabulas egregias aspiciens aegrotus non gaudet, non laudat, sed omnino tranquillus et immutatus manet, ac si nihil videret. Itaque raro eum videbis in illis locis, quo cantus, modi musici, actiones, res novae, artis opera homines advocant; si quando aegrotum illuc duxeris, eum omnia negligere et praeterire videbis, ac si ea iam satis cognita essent.

Iam non adnotandum amplius est, in huius modi aegrotis etiam sensum deesse, res divinas respicientem, qui prodit e cognitione rationis, quae inter deum est et hominem. Aegroti omnia, quae

ad dei cultum pertinent, libros, in quibus de rebus divinis praecipitur, doctrinas divinas, sacra et templi caerimonias, neque reiiciunt et vituperant, neque amant et venerantur, sed omnino negligunt. Deum neque timent neque amant neque verentur. Sunt quidem multi et sani, qui ulla erga deum pietate carent, cum aut dubitent aut non credant, deum esse. Aegroti autem, etiamsi deum esse putant, hunc neque timent neque venerantur neque ei confidunt neque gratias agunt.

Beneficia amant, sed non illum, quem sibi haec dedisse sciunt. Quamquam in deum neque odio habentur neque eum contemnunt. Hoc ipsum animi hebetudinis est atque ex hoc intelligitur, quod aegrotus ille mihi dixit, »mea non refert, utrum deus sit, an non sit; deum esse credo, sed omnino negligo, utrum aliquando in coelum et ad deum perveniam, an in sceleratorum sedem ac regionem.« Hoc certe non est hominis sani, etiamsi sceleratissimi.

Ex iis, quae diximus, iam satis intelligitur, etiam sensum et intentiones morales, quae vocantur, in eiusmodi aegrotis deesse. Qui caret sensu ideali et pietate erga deum, virtutem amare nequit. Falsum est, ob hanc rem aegrotum habere sceleratum et impium. Hic enim non contendit male agere et peccare, non virtutem proculcat et pervertit, sed

ob animi torporem, corporis morbo effectum, virtutis pulchritudine non inflammatur. Laudi et gloriae virorum magnorum non assentit neque eos imitari studet. Haec eius animi inertia non continetur in opinione, aliquid bonum et pulchrum non esse vel aliquem gloriam non mereri. Bene hoc aegrotus cognoscit, recte iudicat de rebus, quas alii egerunt, sed haec cognitio eius animum non ita afficit, ut gaudeat et laudet, quod quis fecerit. Neque aeger irritatur rebus et factis aliorum turpibus et inhonestis, nec vituperat, qui peccarunt, nec poenitet eum mali, quod ipse fecit, quamquam bene scit et intelligit, se peccavisse.

Factorum et vitiorum memor, quae et civitas et ecclesia condemnant, non terret, sed miratur, quod aliquis, qui audivit illa, stupescit. Aegroto illi cum aliquando exprobraretur, in templo datum esse iusiurandum, se uxorem amaturum et tuiturum, miratus est, quod tam multum sacramento tribueretur. Hoc quidem mania, vel amentia, vel inhonestas esse videtur, sed non est. Desunt enim in aegroto falsae animae repraesentationes et consilium male agendi.

Iam dictum est, non omni quoque tempore eadem in aegrotis symptomata inveniri. Huius animi affectiones, mores et vitae ratio mutantur. Inter-

dum vix in illo abnorme aliquid animadvertes. Aegrotus diligenter et attente legit; quae legit, vel vidit, diiudicat, laudat, gaudet, ridet, commotus et studiosus apparet. Non est somniculosus, sed in omnia, quae circa eum fiunt, animum advertit. Gaudet tempestate serena et ambulare cupit, multa loquitur et interrogat, omnia sponte sua agit, nervis et tibiis canere incipit. Qui aegrotum non novit, miratur, illum animi hebetudine pati. Tempore aegrotus cupit, familiae res prospere succedere, infantes felices fieri, maeret, quod consanguineis iniucundi aliquid accidit, optat domi esse et in familia versari. Poenitet eum, se peccasse, pudet, se hominem esse infirmum; aegrotus, quem offendit, orat, ut sibi ignoscatur; consilium capit, vitae rationem meliorem et honestiorem ingrediendi; vere omnino mutatus est, ut prognosin bonam statuas. Hic homo autem post aliquot dies ad priorem animi redit conditionem.

Neque modo ad animi normalam et naturalem irritabilitatem hebetudo aliquando revertitur, verum etiam hanc transgreditur ad nimiam irritabilitatem. Aegrotus reperitur interdum valde commotus, irritatus et iracundus, praesertim quando e vitae ratione consueta, commoda et iucunda educitur atque morum commutationem facere cogitur, quae hebetudini eius

non respondeat. Quare valde irascitur et renititur, si in hominum societatem ducitur vel propellitur e lectu, in quo iners et dormitans cubat. Tum exacerbatur, ac si homo esset acri natura et animo maxime irritabili. Neque tamen semper irritamento aliquo haec excandescentia efficitur neque umquam longa est. Accidit quoque, ut aegrotus familiam, cognatos et amicos, quorum nullam antea rationem habuit, vituperare et contumeliis insectari incipiat, quasi magnopere ab illis offensus. Liceat mihi hoc loco Latine reddere lectori epistolam, quam aegrotus ille, de quo saepius iam sermo fuit, uxori mittere voluit.

„*P. P.*

— — — — — — —
— — — — — — — —

nam quid tibi propositum est? forsan mores meos emendare? me revocare a vita inerti et commoda, quae mihi ex annis triginta omnium rerum in coelo et terris fuit iucundissima! hercle! ad hoc efficiendum remedium illud, quo usa es, nimis invalidum est, quamquam incommoda tuli satis multa, quae tamen ob cibos bonos, quibus hic fruor, libenter tuli. Si forte opinaris, te uxorem, etiamsi secundi eventus spes nulla sit, omnia conari debere, magnopere falleris, nam

quisque scit, me numquam te amasse. Quid mihi cum amore, quem numquam cognovi, numquam quidem colui! In epistolis saepe de Christo loqueris, cuius rei me taedet, cum illum ignorem. Age dum! equidem haud repugnabo, quominus despondearis alteri viro christianam aut non christianam fidem profitenti. Rebus tuis, quam optime potes, ipse consulas, nam »aide toi et dieu l'aidera« sententia est quamquam brevis, tamen maxime vera et gravis. Equidem multa ratione auxilium, ut deum, omnino negligo, quod diabolum non minus amo et in eius tutela optime me haberem. Nihil mea interest, pervenire ad te has litteras, quas solum ad tempus fallendum scripserim. — — — — — — — — — — — — — «

Ex his litteris satis aegroti singularis animi conditio conspicitur; etiam ex colloquio illius hebetudinem animi intelligas. Saepe eum audivi dicentem, se non impedire, quominus alii viro uxor nubat, se numquam ad infantes redire cupere, se maxime fore felicem, si ab omnibus remotus in solitudine vita commoda et tranquilla frui possit.

Iam dictum est, animi hebetudinem non prodire e cognoscendi facultate turbata, ex errore quodam aegroti, e falsis animae repraesentationibus et iudiciis. Animi sui conditionem aegrotus ille tam bene

cognovit, ut interdum diceret: »Neminem amare possum, neminem odi, alium non magis diligo, quam alium.«

Quod Prichard[1]) vocat »moral insanity«, tria illa, quae Ill. Nasse[2]) distinguit, animi morborum genera complectitur, praecipue vero nimiam animi irritabilitatem et anxietatem. In descriptione enim huius morbi et in observationibus, quae narrantur, interdum modo symptomata inveniuntur, quae hebetudinis animi propria sunt. Prichard ita hunc morbum definit: »Moral insanity is a disorder, of which the symptoms are only displayed in the state of the feelings, affections, temper, and in the habits and conduct of the individual, or in the exersice of those mental faculties which are termed the activ and moral powers of the mind. There is in this disorder no discoverable illusion or hallucination or false conviction« etc.

In libro[3]), quem Prichard prius scripsit, quam illum, idem dicit his verbis: »This form of mental derangement has been described as consisting in a morbid perversion of the feelings, affection

1) On the different forms of insanity p. 30.
2) l. c.
3) Treatise on insanity and other disorders affecting the mind p. 12.

and active powers, without any illusion or erroneous conviction impressed upon the understanding.«

Dr. Hitch (superintendent of the County Asylum at Gloucester) in litteris, quas ad Prichard scripsit, de »moral insanity« dicit: »— and term individuals so affected insane in conduct and not in ideas.« [1])

Ex omnibus his non quidem natura morbi intelligitur, sed solum id, in hoc mentem non aegrotare. Neque tamen fieri non potest, ut animi hebetudo postremo cognoscendi turbationem adducat; hoc in omnibus animi morbis accidit. Aliquando animi hebetudo in maniam transit, rarius in dementiam [2]) (Narrheit). Interdum mania animi hebetudini coniuncta invenitur. Huiusmodi casum videndi praeceptor benignissimus Nasse mihi ante aliquot dies occasionem praebuit. Hic vero duo morbi adsunt, neque animi hebetudo effecta est mania. In amentibus quoque nonnumquam animi lentitudo reperitur, sed non semper, cum etiam amentes sint animo irritabili. Itaque contendi non licet, animi hebetudinem proficisci ex amentia. Animi morbum durantem se-

---

1) Prichard, On the different forms of insanity p. 38.
2) Nasse l. c.

qui maniam, quae non redeat, rarius est. Maxime animi hebetudinem ad hoc proclivem esse, putatur [1]. In animi hebetudine interdum et normalis et nimia animi irritabilitas adest, quae illam pro tempore reprimit; quod in illo aegroto nonnumquam accidisse dictum est. Accidit quoque, ut animi hebetudini ebriositas et malitia, aut naturalis aut iniuriis exorta, coniunctae inveniantur [2].

De causis animi torporis breviter haec dicam.

Rarius subito, quam paulatim animi hebetudo exoritur. Praecedit interdum animi quaedam lentitudo, quae tamquam fundamentum morbi morbus nondum est. Aegrotus iam antea fuit animo tardo et inerti, minorem eorum, quae ab aliis et alio loco agebantur, rationem habuit, magis solitudinem, quam hominum societatem et celebrationes amavit, muneri quidem satisfecit, sed minori cum studio et amore. Pueri sunt, qui scholam et amicorum ludos fugiant, saepius soli inveniantur, ut ab amicis timidi habeantur vel homines temperamento phlegmatico et natura singulari. Huic animi conditioni plerumque coniunctus est corporis habitus, qui excellit bona nutritione, interdum obesitate. Eiusmodi homines cibos condi-

---

1) Nasse l. c.

2) Nasse l. c.

tos et irritantes et potus, qui spirituosi vocantur, diligunt et multum edere solent, etsi non multum laborant. Maximam corpori nutriendo operam dant et rebus suis, cum animae functiones minus valere et res alienae negligi soleant.

Haec animi lentitudo, quae aut congenita aut acquisita est, ad eum gradum paulatim evehitur, ut morbus fiat. Hic autem ab animi conditione, quae nondum morbus sit, minus gradu, quam hoc distinguitur, quod ceteras animae vires ita afficit, ut homo a solitis vitae negotiis et naturali vivendi ratione detrahatur. Interdum vero ille minor gradus animi torporis per totam vitam durat, neque homo aeger, sed singularis ab hominibus habetur et vocatur. Haec animi et morum singularitas, quae »excentricity« ab Anglicis vocatur, hominem non detrahit ab officiis aetatis et muneris, a rerum familiae cura, ab humana societate, quamquam negari nequit, studium et amorem illarum rerum, qui plane sani hominis sit, in illo deesse.

Iam cum animae morbus sine corporis morbo cogitari nequeat, interrogandum est, quae corporis mutatio animi hebetudini subsit.

Sed dolendum, quod ex obductionibus nihil hucusque scimus: quomodo sanguis aegrotorum mutatus sit, nescimus; huius vero qualitatem esse

abnormem, coniicitur, cum hydrargyrum sanguinem alterans ad morbum mutandum valeat. Aegrotorum coenaesthesis cum admodum valida sit, systema gangliorum, quod illi praeest, admodum vigeat, ut corpus bene nutriatur et robustum fiat, forsan cerebrum magnum, quod animo et menti praeest, minus bene fungitur. Nam gangliorum systema est polus cerebro contrarius, ut abdominis morbi multum valeant ad animae conditiones.

E causis occasionalibus, quae animi torporem faciant, inprimis accusandum est masturbandi vitium. Hoc non solum mentis hebetudinem, sed etiam animi efficit. Quod sequitur immodicum usum mulierum, vere exiguum est, si comparatur cum malis et corporis et animae, quae exoriuntur e masturbatione. Haec primum systema nervorum valde excitans, torporem eius tandem relinquit. Homines huic vitio dediti quam hebetes paulatim, quam timidi fiant, quantopere societatis humanae celebrationes, amicorum et cognatorum sortem, munera et officia negligere paulatim incipiant, saepe videri licet.

Tum omnia, quae sensus et appetitus vehementes saepius provocant, torporem animi efficere queunt. Notum est, magnum animi angorem hominem reddere hebetem et securum omnium rerum, quae fiunt, atque in solitudinem vocare. Gaudium

subitaneum sequitur interdum animi lentitudo. Iam omnis animi motus vehemens, qui per longum tempus durat vel saepe rediit, in torporem animi transire potest. Nonne nervi alicuius nimia irritatio huius sensibilitatem paulatim diminuit et denique exstinguit? Res non alia est in animo. Quare etiam, qui fabulas legere solent et libros animum valde excitantes, facile hebetes fiunt. Prae ceteris multi Anglorum et Francogallorum libri faciles facile animum hebetant. Sunt, qui per longum tempus in cuiusque generis voluptatibus versati postremo has omnino negligant.

Nimiae illae animi affectiones, amor, gaudium, tristitia, sollicitudo, iracundia, invidia paulatim animi hebetudinem gignere queunt. In hoc genere Ill. Nasse ait dicit [1]. »Es wäre ein merkwürdiges, ja einziges Verhältniss, wenn die Störung des Gemüths Monate und selbst Jahre lang dauern könnte, ohne dass sie sich mit dem störenden Einflusse ausgliche, oder, wo diess nicht zu Stande käme, nicht in Schwächung und Ermattung überginge, was denn ein selbstständiger Zustand der Krankheit wäre.«

Quoad curam equidem nil novi possum docere, cum me experientia omnino relinquat. Dolendum vere est, in academiis occasionem iuvenibus omnem

1) l. c. [illegible]

deesse, animae morbos videndi et curandi. Quod quam malum sit, iam ante multos annos Ill. Nasse publice edixit. Quantum scio, in civitate nostra solum Gryphiae litterarum studiosis iuvenibus occasio animi et mentis morbos observandi commoda et idonea est in nosocomio, cui praeest Ill. Berndt. Sed in hoc per tria semestria, quae Gryphiae vixi, nullum aegrotum vidi, animi hebetudine patientem. Itaque praecipue id hic breviter repeto, quod Ill. Nasse docuit.

Ut igitur omnes, quorum animus aegrotat, generaliter curationem poscunt comem et liberalem, ita qui animi patitur hebetudine. Huic perpetua comitas, facilitas, suavitas coniuncta cum apta severitate magis prosunt, quam vis et gravitas. Aegrotum in familia versari honesta et seria, quae eius vitae rationem et mores custodiat, illustrissimo Nasse maxime aptum esse videtur. Summopere aegroto conducit occupatio, modica ambulatio, nocet desidia; nimii vero labores noxii facile fiunt.

Eum peregrinationem suscipere, vix pro tempore prodest. Quidquid aegroti corpus et animum excitare potest, removeatur, potus et cibi irritantes, scripta petulantia, quae phantasiam et animum excitent, homines, quorum conversatio ulla ratione aegroti animum movere possit, huic quam maxime nocent. Adnotandum est, sermonem ad res divinas et serias

spectantem aegroto admodum conducere. Itaque, si fieri potest, in domo ille vivat sacerdotis. Simul medicus eius corpori consulat et prospiciat. Corporis morbus, qui fundamentum est animi morbi, pro natura sua curandus est. Praecipue ad abdominis et cordis conditionem respiciatur, quae ad animi conditionem multo magis valeant, quam cerebrum, pulmones, cutis. Si nutritio valida, sanguinis magna copia est, aegroti edaces sunt, assimilatio diminuatur; detur Tartar. stib. in dosi refr., qui systematis gangliorum vim minuit; alvus solvatur remediis salinis, si torpor hepatis adest, sanguis per venam portarum tarde movetur, alvus adstricta esse solet. In hoc genere aegroto conducit Kissingen (Ragozi). Interdum prodest sanguinem mittere, hirudines tempore ad anum ponere. Mercurius, sanguinem alterans, secretiones augens, nonnumquam dari potest. Rush[1]) se hydrargyro ad salivationem porrecto matrem sanasse narrat, quae unicum infantem amare omnino desierit. Etiam ille aegrotus, cuius saepe mentionem feci, post hydrargyri usum mutatus, etiamsi hucusque non sanatus est. Interdum enim lacrimans queritur, se hominem esse perditum, nullius rei utilem, quas lacrimas mox risus quidam mirus sequitur. Hoc quidem numquam antea in eo visum est.

1) l. c.

VITA.

Ego, Casparus Maximilianus Brosius natus sum Burgstenofurthi, anno MDCCCXXV 12ma Iunii die, patre Thoma, matre Elisabeth, e gente Deitmars, quos superstites pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum rudimentis imbutus sum in gymnasio Lingensi, quod tum Directore Dr. Rothert florebat. Post gymnasium Monasteriense frequentavi, quod tum Directore Prof. Nadermann, postea Dr. Stieve florebat. Quo relicto anno MDCCCXXXXIII inter cives academiae Monasteriensis receptus, nomen apud philosophorum t. t. Decanum maxime spectabilem Ill. Gudermann professus sum. Post annum etiam in institutum medico-chirurgicum Monasteriense receptus sum. Deinde Gryphiae musarum sedem petii, unde in hanc almam universitatem Fridericiam Guilelmiam post tria semestria me contuli, ubi, Rectore Magnifico Ill. Ritschl, Ill. Wutzer, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanus, maxime spectabilis, medicinae studiosis me adscripsit.

Qui sequuntur vv. dd. me docuerunt Monasterii.

Ill. Esser: logicen et psychologiam.

Cel. Schmedding: chemiam, physicen experimentalem, toxicologiam, astrognosiam.

Beat. Becks: zoologiam, geognosiam, botanicen, mineralogiam.

Ill. Grauert: historiam cultus humani temporis recentioris.

Ill. Tourtual et Ill. Riefenstahl: anatomiam corporis humani generalem et specialem et artem cadaverum rite dissecandorum.

Ill. Haindorf: physiologiam generalem et specialem.

Cel. Wirtensohn: pathologiam et therapiam generalem, materiam medicam.

Cel. Falger: diäteticam.

Ill. Pellengahr: pathologiam specialem.

Ill. Riefenstahl: chirurgiam.

Gryphiae.

Ill. Berndt: pathologiam generalem et specialem, morbos exanthematicos chronicos, morbos psychicos, artem obstetriciam; doctrinam de operationibus obstetriciis; idem dux mihi fuit in clinico medico et obstetricio.

Ill. Baum: chirurgiam, oculi et auris morbos, doctrinam de fracturis et luxationibus, de operatio-

nibus chirurgicis, exercitationes in cadaveribus chirurgicas; idem mihi dux fuit in clinico chirurgico ophthalmiatrico.

Ill. Schultze: osteologiam et syndesmologiam, anatomiam pathologicam, artem cadaverum rite secandorum; examinatorium anatomico physiologicum.

Ill. Litzmann: encyclopaediam et methodologiam medicam, materiam medicam, pathologiam generalem, semioticen, formulare.

Cel. Laurer: neurologiam, anatomiam organorum sensuum, artem fascias rite alligandi.

Beat. Berndt jun.: historiam artis medicae, medicinam forensem, morbos puerperarum et infantum, exercitationes obstetricias.

Cel. Schulze: chemiam organicam.

Bonnae:

Ill. Wutzer dux mihi fuit in clinico chirurgico ophthalmiatrico et me docuit morbos ossium et artem in cadaveribus operandi.

Ill. Kilian praeceptorem habui in clin. obstetricio et audivi de instrumentis obstetriciis.

Ill. Naumann in clinico medico therapeutico, Ill. Nasse in clinico propaedeutico mihi duces fuerunt.

Quibus omnibus viris, summe venerandis et optime de me meritis, praecipue viris illustrissimis Baum, Nasse et Wutzer gratias quam maximas habeo et semper habebo.

THESES.

1. *Morbum localem denego.*
2. *Morbi animi et mentis non sunt sine corporis morbo.*
3. *Non quique cutis morbus acutus est exanthema.*
4. *Typhus exanthema.*
5. *Fistulam vesico-vaginalem optime sanat ligatura circumvoluta.*
6. *Pelvimensio manualis melior quam instrumentalis.*
7. *Medicina forensis est solum medicorum.*